






*R. 295*

11  
Q V A E S T I O  
IVRIS C O N T R O V E R S I  
D E  
**C A V S A Q V A R T A E F A L C I D I A E**  
**I N L E G A T O L I B E R A T I O N I S**

Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**  
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

S O C I O  
**I N A V D I T O R I O P E T R I N O**  
DIE XV. MAI. ANNO C I O I O C C L X X I I I  
DEFENDET  
**CHRISTIANVS DAVID ELIAS BRÜGER**  
ROTHENSTEIN - VINARIENS.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.







DE  
**CAVSA QVARTAE FALCIDIAE**  
IN  
**LEGATO LIBERATIONIS**



S. I.

*S*i cui de rebus suaque pecunia libera testandi facultas competit, dubium non est, quin utiliter quoque creditor legare possit suo debitori, quidquid eidem debitor debet. Est itaque *legatum liberationis* remissio debiti per ultimam voluntatem declarata. Sed cum ultima voluntate interueniente fiat, vim atque effectum capit a morte testatoris. Hocce *legatum vero*, sicuti variis formulis relinquebatur, ita maxime duplex videtur, huius *legati* esse modus. Aut enim quantitas in *legato liberationis* exprimitur, veluti **CENTVM QVAE MIHI TITIVS DEBET, EIDEM DO, LEGO**; aut nulla quantitas exprimitur, utpote, si testator in testamento dixerit, **QVID QVID MIHI TITIVS DEBET, EIDEM DO, LEGO**. Vtrumque le-

A 2

gatum

gatum vtile fore, si vel centum, vel aliud quantum Titius debeat, nihil nos dubitare sinit. Probat **VLPIANVS** in L. 3. π. de liberat. legat. Ait: *Liberationem debitori posse legari, iam certum est.* et **POMPONIUS** in L. 8. pr. π. eod. qui scribit: *Nonsolum nostrum debitorem, sed et heredis et cuiuslibet alterius, ut liberetur, legare possumus.*

### §. II.

Sed altera causa ambiguitatibus subiecta esse videtur, vide-  
licet, si testator liberationem aliqui legauerit, qui debitor non  
erat. Et videndum, an hoc legatum vtile esse possit. Si nulla  
quantitas debiti remissi expressa, atque legatarius, cui debi-  
tum remissum est, nihil debeat, certum est, inutile fore lega-  
tum. Hoc expresse consequimur ex L. 75. §. 1. π. de Legat. I.  
Ait: **VLPIANVS:** *Si mihi, quod Titius debet, fuerit legatum,*  
*neque Titius debeat: sciendum est, nullum esse legatum, et quidem,*  
*si quantitas non sit adiecta, evidenti ratione nihil debebitur.* **QVIA NON APPARET, QVANTVM LEGATVM SIT.**  
Licet quidem *Vlpianus* loquatur delegato nominis, ratio tamen,  
quam evidentem *ICTUS* dicit, *quia non appetat, quantum lega-  
tum sit, omnino ad illud liberationis legatum commode applica-  
ri potest.* Qui enim nihil debet, ei nihil remitti potest, ne-  
que cui non debitum sine quantitate expressa remissum erat,  
quidquam petere poterit, *quia non appetat, quantum voluerit*  
testator, *ut remissum sit, et quantum legatum esse velit.*

### §. III.

At, si testator liberationem cuidam legauerit ab indebito  
expressa tamen quantitate, an hoc vtile sit legatum quaeritur?  
Et puto, vtile esse hoc legatum, non quidem, ut liberationis,  
quippe legatarius nihil debebat, sed ut legatum sub falsa de-  
monstratione. Idoneus testis est **PAVLVS** in L. 25. π. de  
liberat.

◆ ◆ ◆ ◆

liberat. legat. Ait: *Quid si nihil debeat: poterit dici; quasi fal-  
sa demonstratio adiecta, etiam peti, quod comprehensum est, posse.*  
Neque ab hac sententia alienus est VLPIANVS in L. 5. I. 1.  
in f. π. de legat. I. in verbis: *Nam et si quid ego Titio debo, ei  
legauero, quantitate non adiecta; constat, nullum esse legatum: Cum  
si decem, quae Titio debo, legauero; NEC QVICQVAM  
TITIO DEBEAM: falsa demonstratio non perimit legatum, ut  
in legato dotis Julianus respondit.*

#### §. IV.

Sed videtur PAVLVS cit. leg. nimium subtiliter ex for-  
mula legandi dissentire distinguendo. Pergit enim: Sed poter-  
it hoc dici, *Si ita leganit, CENTVM AVREOS, QVOS  
MIHI DEBET: vel STICHVM, QVEM DEBET,*  
*HERES MEVS DAMNAS ESTO NON PETERE.*  
Quod si sic dixit: *HERES MEVS CENTVM AVREOS  
QVOS MIHI TITIVS DEBET, DAMNAS ESTO  
EL DARE:* etiam illud temptari poterit, ut petere possit,  
quasi falsa demonstratione adiecta: quod mihi nequaquam placet.  
Si ergo per formulam damnationis legauerit testator, ut heres  
scil. indebitum legatario det, Paulus, si ex falsa demonstratio-  
ne Titius legatum petere velit, quidem ex opinione communi  
petere posse statuit, sed hanc communem opinionem sibi haud pla-  
cere, ob rationem: *Cum DANDI verbum ad debitum referre se te-  
stator existimauerit.* Videtur improbare ICTus video hoc legatum,  
quasi formula illa minus congrua sit liberationis legato, quippe in  
quo heres non dat, sed potius non petit. Et in hoc rectius  
dissentit Paulus: at, si ad intentionem testatoris respicimus, ma-  
xime cum formularum verborumque accurata et subtilis appli-  
catio negligi postea cooperit, Vlpiani sententia, qui eam  
distinctionem haud respicere videtur, applicabilior videtur et  
BERGERVS in Oecon. Iur. Lib. II. Tit. IV. th. XXV. not. 3. Vlpia-

ni sententiam veriorem pronunciat vel ex Glossac, vel ex autoritate maioris numeri Doctorum.

§. V.

Sed nec **VLPIANVS** cit Leg, 75. absque omni distinctione indebiti legatum vtile pronunciat. Nam. §. 2. expressè ait: *Decem, quae Titius mihi debet, lego: sine dubio nihil erit in legato: nam inter falsam demonstrationem et falsam conditionem seu causam multum interest.* Sed hanc distinctionem non vgremus, dixit in eam rem satis, quem adduxit **Bergerus**, BEYERVS diss. de legato liberationis ab indebito. Satis erit obseruasse, cum omnis formularum verborumque cultus solennium in legatis pariter ac in aliis causis sublatus, in ultimis voluntatibus nos respicere ad intentionem testatoris, vt licet nihil debeat legatarius, legatum recte petat, nisi qualitas indebiti ita sit comparata, vt eius petitio, cum iam satisfactum sit alio modo, vt exinde indebitum factum sit, seu lateat in errore iuris, iniusta sit, quod ostendit species illa apud Bergerum, de dotis illatae quantitate vni filio a vidua principe paelegata, quae dotalitium, quod omnem absorbet dotem, acceperat, vt ergo ne dos ex iure, quod in ea causa obseruatur, cogitari quidem possit. Erat ergo indebitum legatum, sed ex iuris errore. Scire enim poterat testatrix, sibi amplius dotem esse non posse.

§. VI.

Veniamus iam ad thema controversum. Debebat Titius Caio CCCC Vallenses, ante mortem Caius testamentum condit et Sempronio herede scripto, inter alia legata in testamento relicta Titio liberationem debiti legat. Mortuo Caio atque a Sempronio adita hereditate inuentario confecto et aere alieno



7

no soluto, apparebat, heredi Sempronio haud integrum esse Falcidiā. Quaerebatur: an *Falcidiae quartā etiam e legato liberationis deduci possit?*

§. VII.

Posset quidem probabilis ratio inde peti, quominus legatum liberationis in computanda quarta legitima connumeraretur, quod testator, cum remitteret debitum, nolle esse inter bona: Falcidia vero deduceretur ab hereditate seu bonis testatoris, quae titulo hereditatis ad heredem veniunt, ut ex his quartam saluam haberet partem. Sed hoc non obstante, adsunt legum autoritates, ex quibus liquido probari potest, neque legatum liberationis immune esse a deductione falcidiae. Prouoco ad autoritatem P A V L I in L. 22. §. 3. π. ad Leg. *Falcid.* Scribit: *Si debitori liberatio legata sit, quamvis soluendo non sit; totum legatum computetur: licet nomen hoc non augeat hereditatem, nisi ex eventu. Igitur si falcidia locum habeat, hoc plus videbitur legatum, quod huic legatum esset, cetera quoque minuentur legata per hoc, et ipsum hoc per alia. CAPERE ENIM VIDETVR, EO Q VO LIBERATVR.* Neque obest, quod ICtus de debitore statuat, qui desit esse soluendo. Concludo: Si in liberatione legata debitori, qui soluendo non est, falcidiae ratio habenda, quidni habenda erit in eo legato liberationis, si adhuc soluendo sit debitor. Amplius prouoco ad P A P I N I A N U M in L. 15. pr. π. ad Leg. *Falcid.* Ait: *Quod bonis iure falcidiae contribuendum est a debitore, cui mortis causa passo debitum remissum est, in factum concepta replicatione retinebitur.* Loquitur quidem ICtus de mortis causa donatione, Sed quis ignorat, hanc cum legatis, etiam quo ad falcidiae deductionem, comparari.

§. VIII.

## §. 2. VIII.

Quapropter, si si verum debitum remissum, falcidiae deducenda sit, vt eam saluam habeat heres, remissio debiti non in solidum, sed vsque ad falcidiae partem conferendam tantum legata videtur. Quare si Titius CCCC Vallenses debet, ad quartam portionem falcidiae vero supplendam deficiat illius octaua pars, liberatio debiti tantum valet ad CCCL Vallenses, ita vt Titius adhuc L Vallenses heredi soluere debeat. Et si indebitum remissum sit, fac, quantitatem esse expressam CCCC Vallensem, atque falcidiam esse deducendam ad octauam partem, legatarius petens legatum liberationis indebiti ex ratione falsae demonstrationis, CCCL Vallenses legati nomine ab herede consequetur, L computatis in falcidiam.



**ULB Halle**

004 758 501

3



*5b*







QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
CAVSA QVARTAE FALCIDIAE  
IN LEGATO LIBERATIONIS  
*P. 295*  
Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESS. P VBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.  
S O C I O  
I N A V D I T O R I O P E T R I N O  
DIE XV. MAIL. ANNO C I S I D C C L X X I I I  
D E F E N D E T  
CHRISTIANVS DAVID ELIAS BRÜGER  
ROTHENSTEIN - VINARIENS.  
L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

